...tus

...ep. gen.

Radziminski Victorin: Ascia sanctuarium aedificans in occursum D. Alberto de Pilca Koryciński etc.

ASCIA
SANCTVARIVM ÆDIFICANS
Jn occursum

Jllustrissimo & Reuerendissimo Domino,

D. ALBERTO
Comiti de Pilca

KORYCINSKI,
Canonicorum SS. Sepulchri Hierosolymitani Conuentus Miechouiensis

PRÆPOSITO GENERALI,

Canonico Cracouiensi,
Secretario Regni Maiori, &c. &c.

Dum primò Miechouiam ingrederetur,

Auspicatissimi ominis ergò

Per Fr. VICTORINVM RADZIMINSKI, eiusdem Conuentus Professum, & in Alma Academia Cracouiensi Philosophiæ Auditorem

Officiosè

EXPEDITA.

Anno Domini, M. DC. LVII. Die 27. Octob,


CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ & Heredum Francisci Cæsarij, S.R.M. Typ.

IN ARMA

KORICINIORVM.

Ego ſum, qui dico Hieruſalem: Ædificaberis, & Templo, Fundaberis,

Iſaiæ 44.



ASCIA quæ Lechici ſtrûxti primordia Regni,
Quæué manuductrix Relligionis eras.
Crux præit, Omen habes Solymæ de Montibus, ipſe
Victor, in occurſum fert ſua Signa Tibi.
Ingredere ô fælix! nam Te Tua Fata vocârunt
Ædificare pijs Moribus Eccleſiam.

Fr. Matthias Auguſtinus Wolſki,
Artium & Philoſ: Baccalaureus,
Ordinis eiuſdem.

AD ILLVSTRISSIMVM
ET
REVERENDISSIMVM
GENERALEM
PRÆFATIO.

ASciam Gentilitij Sanguinis Tui vetustissimum ac nobilissimum Insigne, breuibus & inconcinnis non tam adornatam, quàm verius adumbratam verborum lineamentis, Tibi offero Illustrissime ac Reuerendissime Domine. Non quidem muneris mei erat, cui & ingenij imbecillitas, & vocationis à mundi strepitu, segregatæ palæstra Harpocratis indixit silentium, in ea luci publicæ exponenda desudare, cuius laudes inclytas admirari melius, quàm enarrare antiquitatem norunt historiæ: sed deuotissimus Splendoris eius scrutator non Panegyrista dici maluissem, ni Tuæ Reuerendissimæ Celsitudinis felicissimus hodiernus ad Præposituram Miechouiensem ingressus, cuius Serenissimi Regis fauore, ac Sedis Apostolicæ benedictione, Præsul inauguratus es; tam nostras, quàm Illustrissimorum hospitum mentes in noua gaudiorum tripudia prouocasset. Gestiunt proculdubiò hostilitate diuturna prope exanimati animi: erigunt sese quantumuis rubigine circumductæ prælorum Officinæ, cum suis syllabarum ac vocum agminibus, in Panegyres Tibi contexendas mutuo secum decertant, vt ad fælix & fortunatum Tui aduentus auspicium, & Tuas, & Maiorum Tuorum Ceras condigno in publicum exponant officio. Quid verò vniuersus Ordinis mei cœtus, quanto in die solennitatis Tuæ obsequio gratulabundus exurgit? Crux Alma Religionis nostræ decus; postquam Othomannica Hierosolymis pulsa fuit Tyrannide, non solùm Redemptoris nostri purpurata, verùm etiam Confratrum nostrorum depicta cruore, in societatem triumphorum suorum bellatricem Tuam inuocat ASCIAM, cuius opera & industria pristinum pollicetur se recuperare Splendorem.

 Gratula-

Gratulatur sibi magnopere, videns Tuum hoc Gentilitium Decus à tot seculis suis postibus insculptum, nunc denuo ad Auitæ munificentiæ structuram rediisse. Quis verò cogitare potest, quanta gestiat lætitia, & Dominici saxea imago Sepulchri cū Starza, *vel potiùs* Straza, *antiquum ad excubias sui thesauri aduentare videt, qua vel ipse Sanctificator* CHRISTVS *velle insigniri putandus est, cùm fabri filium Iuliani voce se subsannari non erubuit, & patrem putatiuum in terris non dissimilis artificii sibi prælegit. Resurrexisse sibi iterum nostra Hierusalem videbitur, dum talem suas Curules videt conscendisse Præsulem, qui ex ruderibus Antiquitatis eruta Trophæa in apertum proferre, ac vt Deo & Christianitati proluceant sciet dedolare. Quocirca ad tot festiuas omnium acclamationes patieris* Reuerendissime PRÆSVL, *& meam sese erigere balbutiem. Scatebit illa fateor sui seculi vitiis, & inter Martiales vndique circumstrepentium armorum buccinas enutrita, vix aliquod Musis dignum præseferet encomium: sed si Tuæ humanitatis adyta ingrediens, benignam attigerit manum, quasi à Mydæ fabulosi contactu nouam sibi faciem, & nouum literaturæ acquiret Splendorem. Accipe igitur iam hoc quantumuis leuidense obseruantiæ nostræ in Te Mnemosynon, & prout cœpisti, me vnà cum Hierosolymitanæ nostræ Familiæ vniuerso cœtu, fauore & beneuolentia prosequere. In Conuentu Miechouiensi.*

Ita vouet & precatur

Humillimus & deuotissimus
Cliens

Fr. Victorinus Radziminski,
Can: Reg. C. M. P.

PANE-

PANEGYRICVS.

ILluxit aliquando poſt tot tragicos in Orbe Sarmatico tumultus, exoptatæ tandem pacis felix & auſpicatum initium, quo vniuerſos Regni Ordines, de Patriæ recuperatione hactenùs ſolicitos; de Eccleſiæ Sanctæ Romanæ, & Fidei eiuſdem Apoſtolicæ defenſione inſomnes, nouum lætitiæ genus exhilarauit. Quid enim vnquam Poloniæ votis feliciùs, vel magis ſalutare poterat accidiſſe? quid aliud aſſiduè fidelium voces expoſcebant? quam vt Præpotens rerum Arbiter Deus ereptum nobis fædifragorum verſutiâ Regnum poſtliminio reſtitueret, diſſerenataque temporum perditiſſimorum tempeſtate pacem Patriæ, Religioni Catholicæ veram libertatem, & publicam omnibus præſtaret tranquillitatem. Dolebat enim & vehementèr angebatur, Sacra Regia Maieſtas, vnicum Cordis ſui, & Maiorum ſuorum delicium Poloniam Fidei Orthodoxæ Excellentiâ facilè aliàs Europæ partes ſuperantem, videns inter hoſtiles expirare machinationes. Vidit, & mille dolores, videndo ſenſit, hunc murum Chriſtianitatis, non Copijs militaribus, neque formidando aliquo conflictu, ſed tubæ hoſtilis clangore diſſipari, vidit Pſeudo-Prophetarum apparatu fundamenta conquaſſari Eccleſiæ Dei: hinc inter tot Cœlorum iniurias, & tot aduerſitatum procellas, non dubitauit infracto animo, inſurgentibus contra nos vndiq; periculis obuiare; vt vel ſuo Sanguine fuſo, hoſtilis rabiei & perduellionis ardor extingueretur, & in his latè patentis Sarmatiæ Campis fœcundius in poſte-

rum Religio Catholica germinaret. Nonnè & vniuersi Ordines Regni huius amplissimi; & nobilissimus Regni Procerum Areopagus, acerbissimos pariter senserunt doloris ictus? cùm illæ liberæ voces, & Officiorum Regni Sacrosanctè, hucusque custodita munia, cùm Serenissimorum Regum instituta, atque adeò Reipub. totius prærogatiuæ, suis sepelirentur Cineribus; cum pruriente Hæresum malignitate; Sācta Romana Catholica Fides excusso suaui Christianæ seruitutis iugo, in execrandam conscientiarum libertatem, & mille rituum differentias degeneraret. Quis dubitare potest, quomodo sanguinolentis planè lachrymis ora & oculi vniuersorum Reipublicæ Ordinum irrubuerunt! quomodo cor languentis Patriæ nullo melioris spei refrigeratum pharmaco, inter assiduam, quæ desperare cogebat rerum vertiginem, propè exanimabatur? Docent hoc ipsum, & exaggerant nobis inopinatæ quorundam Procerum mortes, quas non tam annorum grauedo, aut virium debilitas verum vnus de Patriæ funestis successibus biennalis causauit dolor. Sustulit hic è medio tot Episcopos, & Duces, pro Religione Catholica zelantissimos, deleuit Magnanimos, & permultos Poloniarum Senatores, atque alios Proceres prudentissimos consumpsit: qui tametsi, teribilium omnium terribilissimam mortem non exhorruerunt, & morienti Patriæ immori potius, ex dignitate publica iudicarunt., Ecce verò reuiuiscente Fortunâ Reipublicæ nostræ; Vidit Dominus Exercituum afflictionem Sarmatiæ, & prout aliàs non volens iniquitatatem Sacris Scripturarum Oraculis esse perhibetur; sic confusâ fœdifragorum hostilitate misertus est nostri: vt luctum nostrũ in Cytharam conuerteret, & cœlestibus suppetijs, atque inuisibili spiritu fortitudinis, corda militiæ Polonæ ad vltionem de hostibus capessendam obarmaret: Potentissimo IOANNI CASIMIRO Regi Nostro robur, & consilia, ad comprimendam multorum capitum rebellem hydram suppeditaret! & dementatos prætextu cuiusdam libertatis conscientiarum Sarmatas, in pristinum Religionis & constantiæ zelum reuocaret. Iubilant iam vniuersi Ordines, & lætum gratiarum Altissimo concinunt celeusma, prædicat misericordias Domini inops plebecula, quia multiformibus hostium te-

chnis,

chnis, ac fraudibus non eſt conſumpta. Gaudet & Eccleſia Sancta; toto Orbe terrarum diffuſa, & ſua Diuinæ clementiæ, pro integritate Poloniæ ſuſcepta, libentiſſimè exſoluit vota: vel ideò tantùm, quia hoc intemeratum hucuſque Chriſtianitatis propugnaculum, è flamma & ferro hoſtili ereptum, ad inuidiam exterorum antiquæ reſtituit tranquillitati. Hinc & noſtra Hieruſalem Miechouiana, quæ Te Duce & Autore incipiet ædificari, vt ciuitas Regis Magni, cuius fundamenta in montibus ſanctis Palæſtinæ, & in collibus æternitatis defixa ſunt, prout olim ſocia dolorum, ſic etiamnùm particeps lætitiæ geſtit præ gaudio. Quib⁹ illa & quantis hocce tempore iactata ſit tempeſtatibus, quàm ſexies cum ſuis templorum ornamentis in prædam impijſſimis hoſtibus abierit, quàm tres Sacras Ædes, & templa ſua ſolo exæquata deplorauerit, quàm Regiæ Maieſtati, & vniuerſis Regni Ordinibus millies illachrymans, etiamſi per hoſtem euiſcerata: vſibus tamen Reipublicæ, Sacram ſupellectilem Eccleſiæ ſuæ, non grauatim tradiderit, nemo eſt qui non videat, nemo quin ſi velit intelligat. Non aliunde autem hanc publicæ exultationis faciem illi video affictam eſſe, quàm quod Te Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine à modo Præſulem & Paſtorem ſuum, ſuo videat in gremio conſediſſe. Non quiſpiam alius dolorem ipſius mitigaſſet Amphion vel Orpheus cum cythara: quomodo Tu cum ASCIA Tua capeſſens eius faſces regiminis, exhilaras abundè. Gaudet itaque bono ſuo, quod præuidet ex Tua præſentia, propè diem affuturum, gaudet zeloziſſimis Tuarum Virtutū conatibus, quibus neglecta ob Prædeceſſorum Tuorum culpam, Sponſæ ornamenta, compenſanda audiuit! Quia verò cordialis gaudij affectus, nonniſi per teſtes ſeſe ſolet aperire voces, imbecillem facundiæ meæ Suadam vix non rigoroſis Sanctæ Obedientiæ legibus obſtrinxit, vt velut anſer inter olores aliquid audere incipiam. Dabis ergo veniam PRÆSVL Reuerendiſſime balbutienti eloquentiæ, audacter in gratulationes Tibi debitas geſtienti, & quidquid Ominis auſpicatiſſimi ex Gentilitijs Tuæ Proſapiæ Illuſtriſſimæ Armis, in ſpem Conuentus Noſtri deriuabo, prout Tua Humanitas tacitè nobis polliceri videtur: æqui boniq́ue conſulens, benigno fauore proſequeris.

ATq; vt inde tenuiſſimæ facundæ meæ, rudimenta proficiſcantur, vnde hæc pretioſior auro Gentilitij Tui ſplendoris teſſera proceſſit: Satis ſuperq; ad contexenda Tibi gratulationum faſtigia vel de domeſtico video accidere ornamento, dum Nobiliſſimam Domus Veſtræ Proſapiam, tantæ in Regno hoc ampliſſimo Antiquitatis eſſe fatentur omnes, vt ob incomputabilem annorum ſeriem eius initia non facilè ſit inuenire. Obſtupeſcunt certè eruditiſſimorum quorumuis ingenia, dum gemmam hanc, ſanguini Veſtro connaturalem arrhabonem dignè à primordijs ſuis inueſtigare non valent, ceſſant conatus, deſunt Vires, fatiſcit eloquentia, & non niſi vſitata in barbariem Sauromatarum inuectiuâ ſatis facimus nobis; quod ad Martem magis, quàm ad Muſas nata Polonorum ingenia, antiquitatis ſuæ clenodia ſtylo debito & fide Hiſtorica, à principijs ſuis neglexerunt nobis ſcrutando recenſere. Quid? Referas initia Aſciæ, ad feliciſſimum orbis Dñæ Romæ Imperium cui hæc inſignia, & autoramenta Dignitatis fuêre? At ſuperius adhuc ſe ſe porrigit eius amplitudo, quod & Iouis Olympij non aliud Sceptrum antiquitus fuiſſe, quàm Aſciam ſuperſtitioſa narrat Antiquitas. Aſſeras cum multis poſt ſæculis, Aſciam Polonæ fundamenta dedolaſſe prouinciæ, at commemorabunt alij fortiſſimos etiam Lydorum Reges, pro gubernaculis ſuarum Prouinciarum Aſciam vſurpaſſe: Demonſtrabunt pleriq;, vix victas Amazones illas, incredibilium ſuarum victoriarum curſus, nonniſi Aſciâ promouiſſe: at quisquis regiones terrarum, & ſtirpes Prouinciarum, quæ antiquitus celeberrimæ ſub ſole fuerunt recognoſcet; hæc arma virtutis, & induſtriæ ſuæ documenta geſtaſſe comperiet. Deſpondent iam animos nobiliſſimorum Hiſtoriographorum Codices, Aſciæ antiquitatem inueſtigantes, & concordibus calamis in has prorumpunt voces, Topororum gentem nobiliſſimam non annis, non ſæculis, ſed æuo & æternitate Regionum mẽſurari. Dicunt alij Vetuſtiſſimam Starzonum familiam, Patriarchalem illam benedictionem à Domino ſibi vendicaſſe, & mentes ſuas altâ ſplendoris contemplatione defeſſas non niſi ad occultas fatorum, & prouidentiæ Diuinæ latebras immergunt! vt vel exinde veſtris Gentilitijs laudibus condigni prode-

ant

ant Encomiastæ. Et meritò quidem. Quem enim a Patrijs, virtutibus degenerare non prohibeat, acutissima eius ferri acies, quem animum imbellem, & formidolosum non impellat, ad fortia quæuis infractâ ceruice subeunda, tali obarmatum propugnaculo? O quam felix & fortunata illa dicenda erit Respublica quam Victricia nominanda castra, vbi Asciæ leges condunt, in transgressores earum seuerè animaduertunt, & ineluctabili; ne sibi noceant hostes; a ceruicibus suis propulsant armaturâ, Eò enim se se plerumq; nonnullorum extendit licentia, vt postposito recti ac honesti amore, omnia quæ non licent, ipsis collibeant & expediant: nisi in eos Vigilantia superioris brachij strictius intendat, & formidine pænæ a libidine scelerum coërceat. Vnde tot Regnorum fortissimorum olim interitus? Vnde tot Vrbium munitissimarum excidia? Vnde tot Virorum fortisimorum mortes? Vnde & nostris temporibus dissolutissimis iam a tot annis exortæ rebelliones, nisi ex remissa iustitia & summâ conniuentiâ Magistratuum, ad quam Sanctæ Leges iustitiæ velut telæ aranearum sæpenumero rumpuntur: quibus præfractis gubernaculorum repagulis, in mille absurda necesse est incidere Verum feliciter hanc publici regiminis Charybdim Ascia declinauit! quæ in totâ antiquitate iustitiæ Symbolum existens, fora & tribunalia Torquatorum, Manliorum, imò totius Imperij Romani honestauit. Quas lauros non meruit securis hæc, securitatis & Publicæ tranquillitatis nutrix? quæ Dictatoriâ quandoq, autoritate euibrabatur, etiam sanguini propriò non parcens modo Imperij Maiestas cum Reipublicæ fructu permaneret. Narrant antiquissima Theonodiorum Reipublicæ monumenta, quendam ex Regibus illis ob violatas leges caput filij sui amputandum Asciæ subiecisse, & tam in solatium Patri, quàm in exemplar non parcentis iustitiæ, effigiem sic decollati, Monetæ impresissæ. Quid ego dicam de pretio, & veneratione ipsius? non enim duntaxat apud Sarmatas debitus Asciæ honos impenditur, sed quoquo terrarū oculos ac mentes conuerterimus, pro immortalibus eius in genus humanum beneficijs, etiam inter Phænomena astrorum receptam referre possemus. Mercurius teste Apologo cuidam ex popularibus suis, eburneam pro ferreâ,

 cœli-

cælitus demittens Asciam restituit; Turgitauri tribus filijs olim regnantibus in Scythia, inter cætera auspiciorum præsagia, Securis demissa, delusis fulgore auri adolescentibus, minimo natu nomen & omen ferrei imperij attulit. Vespasiani temporibus teste Plutarcho duodecim Secures è nubibus cadentes fasces imperij Tito detulerunt: & vt fabulas omittamus Elisei ad Iordanem Securis, Thaumaturga, tuguria prophetarum ædificans, mundi prælusit reparationi: Abimelech in fano Berith adiutrice securi extirpans idololatras, post suos & Dei hostes humiliatos, futuræ Ecclesiæ victorias præfigurauit Verum transeant nunc fabulosæ Antiquitatis semimortuà inuolucra. vt quid enim externa repetamus miracula, cum stupore? cum præstò adsint Topororum admirandæ virtutis prodigia quæ illustrarintne; Poloniæ splendorem, an potius a primis Regni initijs fundauerint, ipsam terram tot triumphorum feracem, licet non mei sit iudicij decernere, tamen hæc iam impleuerunt fastos æternitatis, & plenissima est eiusmodi exemplorum vetustas. Itaq; iactent alij suis aut Maiorum suorum meritis Reipublicæ huius libertimæ partam fuisse libertatem; respondebit Ascia se fundamenta libertatis Polonæ, antequam quidquam fieret, in principijs excoluisse. Numerent tot vulnera, & lethales cicatrices, pro patriæ salute toleratas; monstrabit Ascia innumerorum Heroum suorum mortes infinitas, pro Deo atq; ipsius religiosissimo cultu conseruando oppetitas. Defendet quispiam ab incursibus barbarorum, Regni fines: hæc suis quandoq; exercitibus hostes propulsans, pace, & gloriâ vniuersam Poloniam clarificabit: In sago & in toga, in curia & in senatu, trabeatas alij adornabunt curules, hæc Aristocratico subnixa sceptro; inter duodecim Palatinos, Regni Gubernatores, quorum vnus Toporeus erat, etiam thronos regales consueuit occupare. Multa, paucis complecti libeat; quod per partes alijs Diui, & Fortuna concesserunt, hoc ab antiquo rerum vsu, totum Toporeis innatum fuisse, suspexit Polonia: vt cum permultæ in hoc Regno Amplissimo respledescant familiæ, hæc non adæquasse tantum alias, sed splendore & rebus gloriosè gestis plurimas superasse videretur. Nam vt prætereantur post Strazones Zbylutarum, Zegotarum,

gotarum, Zularum, Lampertorum, & Sieciechorum, virtutum non hominum nomina; quorum egregia facta, non Sarmatia tantùm, ſed circumcirca vicinæ gentes ſuſpexerunt: Tenczyniorum, & Oſſoliniorum recentioris æui memoriam fruſtra renouare, tenuiſſimo Suadæ meæ penicillo tentarem: pridem hos ad ſecuturam poſteritatis imitationem inſcripſit Mnemoſyne, qui prout ad ſæculi ſui ornamentum ſplendidiſſimè illuxerunt, ſic ad præſentium temporum ſubleuandam calamitatem deſiderabiles, & ad futurorum temporum medelam magnoperè erunt expetendi. Erubeſceret certè calamus, magna modis tenuare paruis, & longiſſimus Toporeorum Heroum Cathalogus fieri deberet, ſi ſingulorum geſta, virtutes, & in Eccleſiā Dei promerita attingere allaborarem: Quos & præſens adhuc miratur, & poſtera ætas ſuſpiciet. venerari magis tacito ſilentio velim, quam non paribus ingenij viribus ad commendationem Heroicarum Proſapiarū anhelare. Vſitatâ quidē temporū conſuetudine virtutē incolumem odimus, dubio procul: (atteſtante Poëta Venuſino) & ſublatam ex oculis quærimus inuidi: verùm erit erit illud tempus, quando Polonia Topororum indiga, ſi ſuæ indemnitati, & Reipublicæ dignitati conſulere velit, vmbram ſaltem, ſi rem non licebit; bellatricis Aſciæ votis ſuis veſtigabit. Et quis obſecro, dignè cogitare, ne dum eloqui poſſit, quantis, & quàm formidoloſis Regni temporibus, hæc acies par fuerit? Quâ erga Sereniſſimos Reges obſeruantiâ, quâ in Patriam pietate ac prudentiâ, & quanto animi robore, ac Diuinâ quadam virtute præcelluerit? Ego quidem extrema colligam, alijs prima & media ſpeculanda relinquo.

Poſtquam enim Topororum Aſciæ, deductis colonijs in nouam Granouiorum, & Pilecciorum propaginem germinârunt, poſtquam Comites de Pilca, deriuatis à throno Regali Splendoribus, multiplici Senatoriorum paludamentorum dignitate, velut Sydera in firmamento, ſic in Hemiſphærio Poloniæ Illuſtres refulſerunt, incredibile dictu eſt, quomodo ex Korytno, velut olim ex equo Troiano, ſexcenti prodierunt Proceres Sarmatiæ, qui conſilijs pacis & belli ſolertiſſimi, militiæ flore vernantes, ſingulari pietate, ac in Deum amore ardentiſſimo feruentes, quidquid Pilecciæ debebatur Familiæ, ſibi

debitum iure optimo vendicarunt. Exinde itum eſt in ſæcula, non tam aurea, quàm aureorum Topororum feraciſſima. Quæ fuerint Comitum de Pilca prærogatiuæ? & quæ generis ornamenta? etiam me tacente tot Caſtellanorum, tot Palatinorum, aliorumque per Prouincias Poloniæ Gubernatorum dignitates, habetis. Sed quoniam parum eſt fortunæ ornamentis niti, quæ etiam indignos dignificans cæca Dea, pleriſque indiſcriminatim affingere conſueuit. Prodeat in medium IANVSSIVS Comes de Pilca, Caſtellanus Sendomirień. Palatinides Cracouień. familiariſſimus Regibus, qui olim Caſimiri Magni temporibus, vnà cum germano ſuo Pocillatore Cracouień. grauiſſimis pro Repub. laboribus perfunctus eſt. Prodeat & alter Nominis & ominis eiuſdem, qui in Palat: Siradienſi Korytno, locorum amœnitate, & agrorum abundantia, domicilium ſuæ deligens puberati, maturiorem deinceps ætatem, non inter domeſticos lares & otia popularia, verum inter anfractuoſos Bellonæ labyrinthos conſummauit, & tantæ Vir dexteritatis a grata poſteritate commemoratur fuiſſe, vt multoties per medias hoſtiū volitando phalanges, Turcas, Tartaros, Moldauos proſterneret, numeroſiſſimaſque barbariæ cohortes, animo & manu bellcosâ fugaret, diſſiparet. Prodeunt & reuiniſcunt ex faſtis Hiſtoriographorum Proceres digniſſimi Thomas, Nicolaus, & Andreas Koricinij qui cum Patre ſuo inter acies Tartaricas tot relatis trophæis a telis hoſtibus tandem conciderunt: ex quorum vulneribus cum ſalus Patriæ tum certè Illuſtriſſimæ Familiæ gloria, & amplitudo profluxerat Quid plura? Excutiantur Veterum annales, prodibit Ioannes Caſtellanus Siradienſis, ſpectatiſſimæ virtutis, & ad negotia rectè gerenda maximè diſpoſitus Vir: prodibit eius Filius Zauichoſtenſis Caſtellanus, qui prudentiâ in aduerſis atque animi fortitudine infractus terribiles in Podoloia, Lithuania, & Pruſsia, per annos quinquaginta auſus exercuit, Prodibit & Albertus Lancicienſis Palatinus immortali vitâ digniſsimus; qui in quantâ Virtutis ſuæ æſtimatione apud Principes Regni fuerit; ipſa Priuilegia & collati honorum apices profitētur abundè. Prodibunt & alij Nicolai, Andreæ, Chriſtophori, cæterique Illuſtriſsimi Maiores Tui, quos cum natura ipſa ad ſupre-

ad ſupremos Dignitatum gradus capeſſendos perbellè efformaſſet, repudiatis tamen Honoribus magis Illuſtres videri voluerunt, quam ceptis non prout Virtus ſuadebat Reipublicæ ſalutares. Prætereo conſulto Chryſtophorum Korycinski Caſtellanum Woinicenſē Illuſtriſſ: qui qua Heroicâ animi magnitudine & quanta induſtria ad res prudenter gerendas excelleret teſtantur abunde celeberrimæ ipſius legationes ad varios Principes pro Regno expeditæ: Teſtantur ad Ioachimum Fridericum Electorem Brandeburgenſem & ad Chryſtianum Electorem Saxoniæ ſummo cum ſplendore ſuſceptæ profectiones teſtatur & ad Matthiam Regem Hungariæ ad Imperatorem Romanorum tum & ad Regem Hiſpaniæ Philipum III. toties & tanto cum honore ſuſceptum & expeditum Legati officium; vt ad inuidiam ſuorum externi quique Principes non alium neque aliter ſua negotia tractantem Legatum expeterent; quám cuius id æam Korycinius ſuâ dexteritate & exemplo exhibuiſſet. Quâ verò fidelitate erga Sereniſſum Regem Sigiſmundum III. inter illos motus Ciuiles eluxerit quâm imberbis quantumuis adoleſcens Rokoſsianorum factiones compreſſerit etiam ſilente me plurimi in fauorem Virtutum ipſius Hiſtorici tradiderunt. Vnùm ego prætetire non poſſum Illuſtriſſimum Nicolaum Korycinski Caſtellanum Sandecenſem & Oiconienſem Capitaneum ſic tacito quodam naturæ inſtinctu, ab adoleſcentia ſtatim efformatum vt ad grauiſſimas functiones maximâ cum laude obeundas & ipſe & ſoboles eius aptiſſimus euaſerit. Non deerat digna tantis negotis vox & facies; quæ Heroicas Virtutes concinna membrorum compoſitionè longè pulchriores & gratiores omnium obtutibus repræſentabar. Nulla cauſa emerſit tam, perplexa, quàm celeritate conſili; non explicaret, nullum negotium tam arduum quod bonitate ingenij non expediret. Quantâ eloquentiæ laude & rerum gerendarum peritiâ in Comitijs & Conuentibus Regni floruerit licet plerique ſuperſtites adhuc flexanimæ ipſius ſuadæ auditores luculentiſſimum teſtimonium poſſent dare: Vnus tamen Illuſtriſſimus pariter & Excellentiſſimus Stephanus Korvcinsky Supremus Regni Poloniæ Cancellarius tantus tanti Patris Filius viuam nobis profert imaginem Virtutum Paternarum

nectare & ambrosiâ dulcior è labris ipsius destillat Oratio & quod olim iactabunda Græcia in sui Xenophontis ore Musas sesitasse gloriabatur; hoc de Cancellarij sui ingenio iure meritissimo Polonia deberet prædicare. Quid vero Ioannes Castellanus Osuiecimensis Illustrissimus Parens Tuus aut quo in loco à grata posteritate recolendus erit? qui cum Fratre suo velut duo fulmina belli Scipiadæ aut Decij quantum in Senatu ornamenti tantum in bellis & necessitatibus Patriæ adiumenti attulerunt. Demonstrarunt sæcula quæ Vetus paræmia ait non imbellem à feroci aquila progeneratum fuisse columbum immo ex Martis, non matris gremio ad tractanda bellorum negotia euolasse subito admirabantur omnes, ita enim pectori eius arriserat sanguinolent⁹ Mars: vt in bello Moschouitico fortissimus olim Stephanus Rex & in Liuonico Pientissimus Sigismundus III. non alium expeditiorem bellatorem sibi inuenirent quam Illustrissimum Parentem Tuum qui nedum sanguine proprio sed & sumptibus immensis Regiam Dignitatem fidelissimo obsequio sciret promouere. Et deuouerat se ille quidem pro Senatoriæ grauitatis exigentia, Patriæ excolendæ, vsque adeò; vt præcipuam candoris, prudentiæ, & moderationis laudem, vno omnium ore reportaret: sed magis mereri trabeatos honores, quàm aucupari aulæ fauores intentus: Dignitates Patriæ eatenus admittebat, vt dignissimus omnium censurâ maximis titulis videretur. Omittam consulto innumera ipsius Dignitatis testimonia, quæ singularem à me requirerent Panegyrim, ob insignem eius in Patria iuuanda prudentiam, ob constantem Reipublicæ charitatem, ob indefessum Religionis propagandæ, & Ecclesiæ Dei amplificandæ zelum, imbecillis facundia mea tot & tantis virtutibus depressa conticescat necesse est. Sciet posteritas Illustrissime PRÆSVL, quæ vetustissimæ stirpis Tuæ fuerit gloria, & quantis Curulibus in faciem Reipublicæ introducta celsitudo. Quoties Polonia libertatis domicilium, Nobilitatis seminarium, domitrix gentium barbararum, Hæreticorum mastix, & Ecclesiæ Dei Antemurale prædicabitur, toties in comitatu Laudum Sarmatiæ Illustrissimi Comites de Pilca, in Toga splendidissimi, in sago bellicosissimi, linguâ Nestores, manu Aiaces, Religione

gione

gione Pompilij, conſilijs Catones, legationibus Cyneæ militiæ diſciplinâ Torquati, celebrabuntur. Enim verò non excitentur illi, qui deſiderium ſui duntaxat in hac orbitate Poloniæ relinquentes, ipſi autem in Superno Spirituum Capitolio, Beata Æternitate fruentes, conquieſcunt; adſunt adhuc aderuntque nobis Illuſtriſſimi Fratres Tui, & re, & Nomine KORICINII, vetuſtiſſimæ virtutis Poloniarum Cultores acerrimi, adeſt Illuſtriſſimus ALEXANDER, Palatinus Rauenſis, planè Martem ſpirans; adeſt STANISLAVS, Caſtellanus Becenſis, Senatoriam verè redolens magnanimitatem; adeſt & SAMVEL KORYCINSKI, Terræ Cracouienſis Pocillator, Vir & Iuris, & Iuſtitiæ conſultiſſimus, horum omnium quiſquis virtutes perſpexerit, impoſſibile eſt, quin veteris Sarmatiæ Viros, quibus ſtetimus huculque, vnà mecum recognoſcat!

Et meditabatur quidē victa veſtris Splendoribus iam ad portū ſuum vela dictionis contrahere Oratio, ſed ecce Tu Reuerendiſſime Præſul, in occurſum tenui ſuadæ meæ progrederis. Quocirca liceat mihi Te Vna cum Illuſtriſſimo Patrueli Tuo, Regni huius Supremo Cancellario adoriri? liceat in ſacrarium honoris veſtri delabentem admirando in veſtris Virtutibus defixo ſermone quieſcere tantiſper. Non ſuffecit vobis tot Auitis prodijſſe ſplendoribus, niſi admiranda pietatis, eruditionis, cæterarumque Virtutum ſpecimina propriò Marte dediſſetis. Non quæſiuiſtis ex fumoſis imaginibus oſtentationem, non ex fortunæ fauoribus elationem, non ex laudum Veſtrarum abundantia intumeſcentiam aliquam acceſſijſtis, ſed ætatis pulcherrimæ, & excellentiſſimis naturæ dotibus inſtructæ Ver, non ad rubiginem optimarum mentium ſcilicet ignauiam, ſed ad feruidam ſcientiarum Palæſtram, non ad vlla vitæ mollioris blandimenta, ſed ad rigidos in ſtudio Accademiarum labores, non ad voluptuoſas vaniſſimorum hominum illecebras, ſed à primis vnguiculis ſtatim ad Sanctimoniam vitæ, ad pietatem & ad dignam Curulibus Senatorijs doctrinam expoſuiſtis, inſtituiſtis. Et cum non nullorum flexibilis, ſemper in deterius ætas iuuenilis inter Vernantis Italiæ, flores ſoleat marceſcere; Vos peragrantes Europæ cultiores natio-

res nationes, cum Thesauris doctrinæ & eloquentiæ politioris, apparatu, vbique odore Virtutum fragrantissimarum, & desiderabili Vestri nominis memoriâ relicta desideratissimi Ciues Regni amplectenti Patriæ redibatis incolumes. Tu Illustrissimæ Præsul post depositam inuentutis tuæ prætextam, quando in spem Patriæ ab exteris reuertebaris an non eá quæ Ecclesiæ Dei conuenirent maturè tibi in studio Romano prospiciens, ad Rempublicam tecum attulisti quicunque Te Tuosque in peregrinatione mores cognouerunt, norunt, semper pietate grauem, grauitate constantem, & constantia venerabilem semper fuisse, vt quocunque te in transcursu exterarum nationum contulisses vbique locorum Magnanimitatem Koryciniam & Deum actionum Tuarum testes te habere probares. Ecce vero qui fuit vitæ Auspex & vlterioris vocationis Idem Moderator Deus patefecit nobis quo Te Tuique ingenij Indolem inclinaret, noluit Te ad profanos vsus cum talento genij Tui conuertere voluit in sortem suam & Regale Sacerdotium adsciscere, voluit ad gubernacula Sponsæ suæ Ecclesiæ admouere, vbi pro ornamento Orthodoxæ Religionis, & ædificatione honestatis Cleri Asciâ Tuâ, desudares; antiquitatemque Prosapiæ Tuæ Illustrissimæ, nonnisi ad illustrandum inter tenebrosas Hæreticorum procellas CatholicoRomani Ritus; antiquitatem elaborares Quid vero an frustratæ spes nostræ? an inania vota? & elusa desiderata sunt? qui Te uident norunt luculentissimè, qui verò non vident, gratissimis animis atque auribus Tuæ Pietatis conatus prosequuntur. Admiratur nostra ætas, quo zelo, & quantâ contentione, expulsâ latrocinij Suetici ex Metropoli Regni barbarie, sacra Lipsana ab iniquis possessoribus Serenissimi Regis nostri Commissarius repetieris: & quemadmodum olim Reliquijs Sacrosanctis Martyris Adalberti è Prussica Tyrannide auri pondere æquali persoluto, omni gaza pretiosioribus triumphis Poloniam impleuimus, sic hac nouâ pietate Poloniæ in spem erigimur manifestam, quod ex mortuorum Ossibus venerandis iterum reuiuiscet Polonia, ad vindicandas Patriæ & Sanctorum eius iniurias, & obstupescent olim Posteri victorijs à Numine placato, cùm feracissimam messem triumphorum messuerint in campis Po-

loniæ

loniæ cumulati, in quibus Tu exemplari pietate, sementem gloriæ Dei, & Sanctorum venerationis seminasti Ausim dicere Te Illustrissime P R Æ S V L, ad terrã Sanctam & benedictam Palæstinæ, quasi iure Tuo accedere, cum quod Regalis fauor, & Benedictio Apostolica Tibi confert munus, antecedentibus meritis Tuis, & quæ sola apud Deum valet Pietate; promeriturus Præsulatus nostri officium consequeris.

Quocirca apprehende die hodierna Præpositura Miechouiensis Canonica fastigia, ad quæ Te P R Æ S V L Illustrissime, Religionis Catholicæ zelus, Maiorum Tuorum exempla pientissima, & nostra omnium vota, plenis Fauonijs Zephyrisque deduxerunt. Capesse scutum inexpugnabile Hierosolymitanæ Antiquitatis: Cruore Redemptoris nostri Crucem purpuratam, in quo Signo Sæculorum splendor, & omnem Regum terræ Maiestatem superans, residet Amplitudo; Laboriosissimæ Tuæ & Nobilissimæ A S C I Æ, quoties ad mentem vsque penetrauerit acies, toties Crux nostra Tui & totius Poloniæ Nominis Decus & ornamentum resplendescat in oculis; ex Christi Stemmate, authoramentum Tuis Virtutibus præparans ad immortalitatem, cuius Te vnà cum Maioribus Tuis Illustrissimis, perquàm cupidum esse cognouimus omnes. Gaude itaque hoc Tuo tanto tamque excellenti bono, & fruere cum fortunâ & gloriâ Sanctæ terræ fortunis, vtà modo Te sibi Æternitas Hæredem adoptare incipiat. Gaudet nostra Ecclesia, non tam pridem execrandis Sueticæ Hæreseos spoliata rapinis, cùm Te Protectorem sui & hostium suorum oppugnatorem acerrimum, tantis à Deo coronari Honoribus intuetur. Esto quod plurimas Sacras Ædes dirutas, & solo æquatas, hostiles deuorauerint flammæ, erit tamen, vnde nouum lætitiæ Pæana intonemus, dum A S C I A M Tuam, ad abradendas hostilis rabiei maculas idoneam, & ad reædificanda Deo & Sanctis eius Delubra, & Ecclesias promptissimam videamus. Esto quod multam auri & argenti farraginem militaris à nobis abstulerit manus, at horum omnium Sarmaticus ager fertilis est, qui iacturam supellectilis Ecclesiasticæ, per manũ munificentiæ Tuæ recompensabit. Esto vniuersa nostra penetralia, simul cum Regni arcanis lustra-

uerit & explorauerit hoſtis Patriæ, at Vniuerſa hæc leuipendens con- temnet Sarmatia, fideliſſimo Regni ſui innixa Secretario, qui & ho- ſtiles conatus maturè peruidebit & maturitate conſiliorum ad quoſ- uis ingruentis hoſtilitatis motus, Patriam obfirmabit: Eſt itaque Præſul Illuſtriſſime quod die hodierna Regni Ordinum mentes, in nouas prouocet iubilationes, eſt quod diuturno exanimatos mæro- re Sarmatas refocillet, eſt inquam quod hanc afflictam Domum Do- mini, & Vetuſtiſſimi Ordinis Canonici familiam, olim ab æuo A- poſtolorum Hieroſolymis, nunc à ſexcentis annis in Polonia labo- rantem conſoletur, cum Te in Miechouienſi Cathedra Magnis nu- per Anteceſſoribus Tuis præſeſſa videant conſediſſe. Patere ergo nunc in occurſum Tibi noſtros animos inclinari, qui mentibus no- ſtris quotquot in Tuo multum iucundiſſimo conſpectu lætamur, immortalis obſeruantiæ vectigal induxiſti. Patere nomini Tuo fe- ſtiuas gratulationum depromi voces, concede vt lætum χαῖρε om- nis ſtatus, & conditionis plena Miechouia gratulabundis applauſi- bus Tibi occentet, quæ cum obligatione Paſtorali in hiſce Veſtibu- lis inſtitutum ad ſe recipit Paſtorem. Salutat Te Eccleſia noſtra, Sponſa Tua; inuiſibili Spiritus S. gratiâ & Septiformi Munere ador- nata, ſe ſubijcit Tibi; vt Tu ipſi Caput eius: Diuinâ præeunte gra- tiâ Cæleſtium virtutum dotem, & prouidentiæ arrhas aſſignes. Sa- lutat vniuerſa Hieroſolymitanorum Canonicorum Corona, quæ Tuo Regimine & in terris, à mundi huius procellis ſe poſſe defendi, & Tua curâ ac vigilantia, Cœleſtium chariſmatum donis repleri ſpe- rat & confidit. Salutant ſubditi Dominum diſcretiſſimum, Paupe- res Mecænatem liberaliſſimum, afflicti Iudicem Æquiſſimum, præ- ſtolantur: Vna omnes in conſpectu Tuo perfuſi lætitia quod a mul- to tempore expectatum, ſaluum tandem, & incolumem die ho- dierna ad ſe adueniſſe cognouerunt. Ingredere igitur Paſtor zelan- tiſſime Gregis Tui Ouile: poſſide Cathedrã Magnorum nuper Epi- ſcoporum & Eminentiſſimorum olim Cardinalium tam in Regno quam in Eccleſia Dei purpuratorum; Patrum noſtrorum veſtigijs colluſtratam. Sit Tibi Virtutibuſque Tuis Sedes hæc ad altiores in Polonia Dignitates, gradus, & iter expeditum, prout Primati Re-

gni hu-

gni huius Professo nostro Lubienscio, Słonczeuio, Thurscio, & extra Nos, Gembicijs, Zadzicijs, Tylicijs, Pstroconijs, cæterisque sexcentis Poloniæ Luminibus Illustrissimis, fuit scala Honorum, & apud Deum, & homines, merendi occasio luculenta. Dignum Te concordibus arbitrabamur votis, quem mundi Rector Deus, Regalibus Sanctissimæ Memoriæ CAROLI FERDINANDI, Poloniarum Principis, Antecessoris Tui Pientissimi, & in hanc Hierosolymitanam Familiam munificentissimi, surrogaret Auspicijs Intende igitur prosperè, procede feliciter, & præsis. ita PRÆSVL felicissimus, vt prodesse nobis, prodesse Patriæ laboranti, prodesse Tuæ, & nostræ Æternitati, felicissimè annuat cœlum. Hoc tibi die hodierna Nobilisimus hic Hospitum Illustrisimorum cœtus, hoc deuotisimus Canonicus Ordo noster, hoc promptisimus Tuæ ASCIÆ Panegyrista, medullitus exoptando, vno ore & corde omnes gratulabundi apprecamur. Viue quàm diutisimè DEO, Patriæ, Nobis, & Ecclesiæ.

DEO OPTIMO MAXIMO, & Virgini Matri, semper Honor & Gloria in æternum.

Sub Auſpiciis

Admodum Reuerendi Domini

STANISLAI DZIANOTT,

S. Th. DOCTORIS,

AC PROTONOTARII APOSTOLICI,

Conuentus Generalis Miechouienſis

CVSTODIS,

Et ad Pontem Regium Cracouiæ

S. Heduigis

PRÆPOSITI.